PETRI GEMELLII THEOLOGI PARISIENSIS IN FESTO, SANCTISSIMAE...


Petrus Gemellius






AD ILLVSTRISSIMVM
D. D. SCIPIONEM REBIBAM
Episcopum Sabinensem S. R. E. Card. De Pisis nuncupatum.

ANTON: VACCAE IVRISCONSVLTI.
EPIGRAMMA.



VI tibi se totũ syncero affectus amore
Dedidit, ille sua hæc nunc tibi iure dicat
Scipio, lure quidem seu toto dimidium plus,
Seu si plus totum dimidio esse uelis,
Namque sui uix quidquam habeat, qui totus
Alterius, domino statq. caditq suo (in are
Tu uerò accipies hæc magni muneris instar,
Si libet, id tua quod gratia grata facit
Materies tractata quidem sublimis & alta est
Nec nisi purgata mente liquere potest.
Conuenit illa tibi & queis Sancto numine plenis
Quæ supra captum cognita sunt hominum.



PETRI GEMELLII THEOLOGI, PARISIENSIS IN FESTO SANCTISSIMAE TRINITATIS.

Oratio.



ESTVS hic dies, Beatissime pater, expostulat, ut de incomprehensibili Sãctissime Trinitatis mysterio dicã, cuius ex obscuritate difficultas omnium assensione tanta est, ut sapientissimorum atque adeò Christianè Philosophantium ingenij acumen hactenus retuderit, ut in hanc beati Pauli, acclamationem omnes compellamur: O altitudo diuitiarum scientiæ, & sapientiæ Dei, quàm incomprehensibilia Iudicia eius, & ininuestigabiles uiæ eius, Adeò sanè obscura est, hæc Sanctissimæ Rom. 1 Trini-

Trinitatis in Vnitate speculatio, ut consultius fecisse uidear, si cum Neoptolemo, qui sibi, sed paucis philosophandum dicebat, ex secretiore Theologia, de Trinitate, per ea, quæ Deus hominibus reuelata uoluit, breuiter dixero, quam si in re, quæ huiusmodi est, ut nullibi laboriosius aliquid quæratur, nec periculosius alibi erretur, importunum me percunctatorem, ac illicite curiosum præbuero: Quod cum facio, Patres Illustrissimi, quam aspectu audientiam pollicemini, auribus precor, non denegate.

Et si, B. P. nulla gens fuerit, tam fera, tam immanis, & barbara; quæ aliquã Dei notitiam non habuerit, Tamen Christiani, quibus Iustitia Dei, ex fide in fidem reuelata est, de Deo, uno, uero, trino in personis, in cuius cognitione & fruitione, hominis fœlicitas posita est, Vnitatem fœcundam, Trinitatem incomprehensibilem, unigenito ipso, qui est in sinu patris enarrante, ac spiritu sancto illis inspirante, ueram, certam, distinctamque supra cæteros, lumine fidei, cognitionẽ habuerunt. isti d nimirum profitentes, aliarum scientiarũ initia, manifesta esse oportere, & prope aspectabilia, huius uero speculationis, quæ de diuinis

Rom. 1.

Ioan. 1.

est,

est, paradoxa, inopinata, nisi superiore fidei lumine, mentes humanæ illustrentur: Accedentem enim ad Deum, non quærere, sed credere oportet, quia est. Nisi crediderimus, non intelligemus, assensione, non disputatione, orationibus, non rationibus opus est, Hic non magnitudo sensus, sed humilitas, hic non sublimitas sermonis, sed ostensio uirtutis requiritur, Ideoque Christus inquit: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quod hæc abscondisti à sapientibus & reuel asti ea paruulis, humilitas sanè ac simplicitas credendi, omnibus qui quærunt Dominum & faciem christi sui, necessaria est, & quanto quis se ipsum magis despicit & abnegat, tanto penitius fide Deum attingit. Itaque philosophi & sapiētes huius seculi, scrutatores maiestatis diuinæ, opressi à gloria, uix umbram ueræ sapiētiæ assecuti, euanuerunt in cogitationibus suis & sapientes se esse credentes, stulti facti sunt: cum enim, mentis humanæ acies inualida, in tam excellenti luce non figeretur, nisi per Iustitiam fidei, ab operibus mortuis emundata, & supra naturam eleuata, ad seruiendum Deo uiuenti, ac, ut inquit, Iustinus Martyr, non nisi docente ac reuelante Deo, res diuinæ co-

Hebr. 11.

Matth. 11. Luc. 10.

Ad heb. 9.

gnosci

gnoſci poſſent, ipſi, uerò, ſibi nimium tribuendo, quaſi ſatis haberent in ſeà natura præſidii, ad diuina intuendum & uera, à falſis, ſecernendum: ob neſcio quam perexiguam & adumbratam ſcientiæ & literaturæ perſuaſionem, nolentes intrare in potentias Domini, in ipſo ſtatim portu ac limine impingentes, alii nullam dixerunt, alii falſam, pro uera, Religionem tenuerunt, ut certiſſimum ſit, animales philoſophos, ambulantes in uanitate ſenſus ſui, obſcuratum habentes intellectum, alienatos a uita Dei, non ſolum perfectam, in diuinis, ueritatem non inueniſſe, ſed nec inuenire potuiſſe, cum quomodo & ubi quærenda eſſet ignorarẽt: Senſũ enim Domini quis intelliget, niſi Deus dederit ſapientiam & miſerit ſpiritum ſanctum ſuum, de altiſſimis? Notæ ſunt ipſorum Philoſophorum; de ignoratione ueritatis, confeſſiones, ut ſi quid de rebus diuinis præclarè dixerint, à Chriſtianis accepiſſe facile conuincantur: Ita enim, Iuſtinus, Martyr, Clemens Alexãdrinus, Euſebius, eruditè docent, quæ apud Homerum, Heſiodum, Platonem & alios, de uno Deo & reliquis noſtræ religionis capitibus habentur, ex ſacris libris eſſe deprompta & partim, quæ-

Pſal. 70.

Ad Ephe. 4.

Sap. 9.

dam

tranſcripta, partim intextis fabulis nonnihil immutata atque deprauata; Ex hac una, unius ueri Dei ignoratione, quem nos Chriſtiani colimus profitemur, inuocamus, adoramus, philoſophi & ſapientes huius ſæculi, ſe, & alios, ſummis, in explicabilibusque damnationis erroribus inuoluerunt: Hæc eſt enim uita, æterna, ut cognoſcamus Deum uerum & quem miſit Ieſum Chriſtum Hinc forte, ſectarum, inter philoſophos initia, Hinc Athei, idololatræ, Iudæi & heretici philoſophorum filii prodierunt, in quibus debilitandis atque frangendis, animoſa fide, ueteres omnes, ad noſtra uſque tempora, Orthodoxi Patres, ſingulari quodam & ſingulis accõmodando, diſputandi genere, operam, ſtudiumque poſuerunt; Philoſophos enim & Atheos, qui ſcripturas non recipiunt, mutuatis a Methaphyſico & naturali Philoſopho rationibus, quaſi propriis armis Iugularunt, Iudæos & hereticos, prope domeſticos hoſtes, domeſticis armis, ſacris uidelicet ſcripturis, expugnarunt, Iudæos quidem, ſcriptura ueteris teſtamenti, Hereticos uerò primum, ſcripturis utriſque teſtamenti, quarum interpretationem in dubiis, Eccleſiæ Iudicio relinquendam ſapien

Ioan.17.

ter. iudicarunt, ne indocti & instabiles, ad suam ipsorum perditionem, apostolica scri-
2. Petr. 2. pta, malitiosè magis, quàm ignoranter, peruerterent, Deinde traditionibus Ecclesiæ, Decretis pontificum, œcumenicis Conciliis & antiquorum Patrum testimoniis, Quibus quidem, argumentorum generibus, orthodoxi patres, omnes de religione controuersias, cum aduersariis gloriosè composuerunt, Omnes, de uno Deo & uero, omnes de Trinitate personarum, in unitate essentiæ, quęstiones, cum Atheis, Iudæis, Philosophis & hereticis, cum Arrio, Eunomio, Sabellio, & aliis de sanctissima Trinitate personarum perperam, & impie sentientibus, ad catholici dogmatis defensionem ita definierunt, concluserunt, ut nullus iam, ad resiliendum, sensus & motus in modernis Trinitariis, contra catholicam ueritatem, posse subsistere uideatur.

Hoc unum igitur superest, Patres Illustrissimi, ut quid de sanctissima Trinitate, fide catholica, credendum, recipiendum, profitendum sit, breuiter concludamus.

Orthodoxorum omnium Patrum, Athanasii, Hilarii, Gregorii theologi, Basilii, Ioannis Chrisostomi, Cyrilli, Cypriani, Augustini

gustini & Conciliorum œcumenicorum, institutum est; Beatissime pater, docere, secundum scripturas, quod Deus, tam ineffabilis est, ut unus existens, trinus sit, una natura nullo modo multiplicabilis, neque ulla est in ea diuersitas, sed perfecta unitas; unum, hæc sic est, ut nulla sit, in ea, solitudo. nulla orbitas, sed tres sint in hac: omnimodè una natura personæ, pater generans, filius genitus, spiritus sanctus - à patre & filio procedens, ac genitoris & geniti, nexus & unio. Quæ singula, cum tam longè, intelligentiam humanam superent; ut nullum flumen ingenii, nulla dicendi copia, rationem tanti misterii complecti posse uideatur, ut uel sola mutatione nominum, Vnitatis & Trinitatis, grauissimè, impingamus, ac licentia uerborum, falsas interdum opiniones gignamus, uidebitur profecto, gloriosa, ineffabilis, & incumprehensibilis, Trinitas unus Deus, pio quodam silentio & mentis excessu, magis quam uerbis honoranda; De qua tamen, duobus modis, ueteres solitos fuisse tractare, scribit Augustinus: Quidam, inquit, dum Trinitatis aliquod specimen, quod humano captui esset accommodatum, effingere uellent, exemplis

August. 10. De ciuitate Dei cap. 2. 1. d. Trinit.

potiſſimum uſi sunt, uelut intellectus, uoluntatis & Memoriæ, quæ tres inuicem diſtinctæ facultates, unicam animæ complent eſſentiam, item animæ, corporis & uitalis caloris, quæ ſua inter ſe natura diſtincta, in unicam hominis hypoſtaſim concurrunt, Huc pertinere poterit, quod de beato Lupo, in Gallijs, Senonēſi Archiepiſcopo, ſua commemorat hiſtoria, qui cum Deum precaretur, in tremendo altaris myſterio, ut ſibi, Trinitatis ſanctiſſimæ, ſpecimen aliquod oſtenderet, ſacra peragendo, tres pretioſiſſimos lapillos cœlitus in ſacrum ſuum calicem demiſſos, in unū lapidem coaluiſſe. Sunt plura alia ad Vnitatis & Trinitatis rationem explicandam, aduerſus proteruos diſputatores, qui rationibus naturalibus fidem ſibi fieri uolunt, non contēmnenda exempla Nam etſi comparatio terrenorum & humanæ naturæ ad Deum nulla ſit, nec ad res diuinas explicandas, humana elocutio ſufficere poſſit Tamen noſtræ intelligentiæ infirmitas, cogit ſpecies quaſdam ex inferioribus, tanquam ſuperiorum Iudices quærere, ut rerum familiarium conſuetudine ad monente, ex noſtri ſenſus conſcientia ad inſoliti ſenſus opinionem edoceamur. Alius de Tri-

Hilarius. De Trinit. lib. 1. 4. et. 7

ni-

nitate tractandi modus securissimus uidetur, cum scilicet, simpliciter absque uel demonstratione uel exemplo, ueritas ex sacra scriptura, proponitur credenda. Qua methodo usum beatum Ioannem Euangelistam audiamus, qui Christi aduentum ac humanam redemptionem, expositurus, necessitate quadam à Sanctissimæ Trinitatis declaratione exorsus est: In principio, erat uerbum, & uerbum, erat apud Deum, & Deus, erat uerbum, cum ante aduentū Christi, parum cōmunicata Trinitatis speculatio haberetur: Nam etsi in ueteri testamento multa sunt loca quibus in Deo pluralitas insinuatur, parū tamen & paucis extitit, apud eos explicata hæc distincta personarum in Vnitate naturæ ueritas, cū aliis de causis. tùm quòd tres in diuinis personæ nondum distinctè apparuissent ut postea in Baptismo Christi, & missione Spiritus sancti, nondum ad sacratissimorum nominum nouitatem, cœlorum palacia reserata uidebantur, nondum hæc uox, Dei patris, in Christi transfiguratione, ut & in baptissimo personuerat: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui ipsum audite: Nōdum hæc Christi promissio discipulorum mē

Ioan. 1.

Marc. 1.

Bernard. in sermo. de S. Ioh. Bap.

tes

tes exhilarauerat: Rogabo patrem & alium
Io.14.& 16 paracletum dabit uobis ut maneat uobiscum in æternum, ſpiritum ueritatis qui à pa
tre procedit, ille me clarificabit, quia de meo
accipiet. Cœpit enim tum poſt baptiſmum
Chriſti, accenſionem in cœlum & ſpiritus ſan
cti miſſionem celebris eſſe diſtincta perſonarum, patris, filii & Spiritus ſancti, in baptiſmo & cæteris Eccleſiæ benedictionibus enunciatio: Sic fides, quæ eſt ut inquit Paulus
ex auditu, & auditus per uerbum Dei, pleniſſime comparatur, nutritur, augetur, accuratur, illuſtratur. Satis autem, meo iudicio,
de ſanctisſima Trinitate ad ſalutem cognoue
rit, qui reuelata à Deo, eo quo proponuntur
modo ab Eccleſia tenenda, pia credendi ſimplicitate receperit, ut hic non intelligenda mē
Greg. lib. 2. moral. cap. 9 te ueneretur, intellecta ueneranter teneat, et
quæ nondum cognoſcit humiliter expectet.
Sunt etenim multa in Theologia inexplicabilia in quibus quieſcere intellectus hominis
non poteſt niſi confeſſa ignorantia, Ideoque
ſcriptum eſt, Altiora te ne quæſieris & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ tibi præcepit
Eccle. 3. Deus, illa cogita ſemper & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus: Sunt enim nobis
diui-

uina opera admiranda, laudanda, extollenda, verùm non ſunt ſemper uel imitanda, anxiè uel perfectè ut intelligamus quærenda: Nam ſi uel tantillum illa uoluerimus utlra fidei noſtræ menſuram intelligere, ipſa eorum luce reuerberante animæ noſtræ acies excœcabitur.

Quicquid ergo ratio clamauerit, quicquid apparens probabilitas oſtenderit, in cognitione Dei. & Sanctisſimæ Trinitatis myſterio, ne uiribus noſtris ſed reuelāti Deo, & eccleſiæ innitamur, credamus reuelanti Chriſto, & ſigillum quo in baptismo inſigniti ſumus, teneamus. Baptizati ſumus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ut etiam tres perſonas intelligeremus, ſed unum tantum Deum confiteremur. Hoc eſt illud unum teſtimonium, de quo Ioannes ait: Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, pater, uerbum, Spiritus. Meritò autem dant unum teſtimonium quia tres hi unum ſunt. 1. Ioan. 5.

Illum ergo qui util ia ad ſalut nos docet, inuocantes altum non ſapiamus, ſed timeamus ne forte contriſtemus ſpiritū ſanctum Dei in quo ſignati ſumus in die redemptionis. Nihil nos ſcire arbitremur præter Ieſum & hunc crucifixum

cifixum

cifixum: Omnia denique quæ nos Romana omnium mater Ecclesia docet, hoc animo, & desiderio addiscamus ac cogitemus, ut ardentiores in unius ueri Dei cultu, magisque pii reddamur, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre, & spiritu sancto, in unitate uiuit, & regnat per æterna sæcula.

Amen.



Romę. die xvij. Julij 15
dono Auctoris.